



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LXIV. De Clerico & Laico testimonium dicere renuentibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

posteriore fuit facta non coram Iudice, sed coram Arbitris: in priore verò inauditâ parte, & per vim prohibitâ suam intentionem probare; ac insuper illa nec didicerat testificata. Ad 5. *N. conf. & parit.* quia in testibus subest metus subornationis & suspicio, an non post cognitâ eorum depositiones ad mendacium instructi veniant falsum testimonium dicturi; non verò de instrumentis, quia hæc, & subscriptiones temporum ac personarum,

in iisdem contentæ, satis se ipsas prædunt. Unde quoad hoc testes conveniunt nomine instrumentorum, ut utrorumque sit longè dispar ratio. 6. Ibi agebatur in causâ Matrimonii in qua specialiter propter favorem matrimonii recipiuntur testes publici etiam attestacionibus, adeoque etiam sus exceptus. Adde, quod utrumque publicatio attestacionum legitime facta non fuerit.



## TITULUS XXI.

De Testibus cogendis, vel non.

### DECISIO LXIV.

De Clerico & Laico testimonium dicere renuentibus.

#### SPECIES FACTI.

**I**N quadam Universitate seu Academia quatuor Studiosi confederant ad ludendum, quos inter erat unus jam Sacerdos, sed, postquam continuato in seram usque noctem lus chartarum incaluerant, Turbilius ob minus prosperam fortunam nimium quantum excandescens in blasphemias, & nonnunquam etiam in contumeliosâ in socios verba prorupit: quod Modestinus molestè ferens increpuit

maledicum, & lusum abrupter luit. Quapropter in furias actus Turbilius Modestinum evaginato provocavit, qui initio quidem placide verbis compescere conatus est, sed postmodum verò, quia is effectus insultare & probrâ dieteris laceffere perrexit Modestinus pariter strinxit gladium, & postmodum vel alterum congressum præter actionem suam graviter vulneravit.

bilium. Res altero mox die ad Magistratum delata examinari coepta est, proinde, cum alii testes non interfuerint, quam reliqui duo simul ludentes Studiosi, Sacerdos & Laicus isti ad

ferendum de rei serie testimonium citati sunt. Sed ambo illud dicere recusarunt, seu metu Turbilio, hominis turbulenti, seu amore Modestini, quem sciebant vulnus infixisse.

### QUÆRITUR.

*An hi duo potuerint à Magistratu Academico cogi ad testificandum?*

Excusavit se quidem uterque I. Quia hæc causa erat Criminalis: in causa autem Criminali nemo ad testificandum cogi potest. c. dilectorum 10. h. t. ubi testes quidem dicuntur cogendi, sed additur, *preterquam in criminalibus*. II. Quia in c. 3. eod. habetur, testes monendos, non cogendos esse ad ferendum testimonium. III. Quia in c. 1. eod. Alex. III. in 1. collect. sic disposuit: *quemlibet autem ad perhibendum testimonium veritati Romana Ecclesia minime cogere consuevit*. IV. Quia favet quoque lex 12. tabularum. V. Quia nemo cogi potest ad subeundum grave incommodum, quod tamen, si testes isti deponerent, Turbulium fuisse Auctorem rixæ, provocantem, blasphemum, convitiatorem &c. facile imminere ipsis posset ex Turbuli rixosa indole. VI. Quia difficile ipsis accidit dilecto sibi Modestino, qui vulnus infixit, per suum testimonium creare molestias, vel causare expensas. VII. Quia metuebant irregularitatem, casu quo fortè vulnus fuisset lethale, & Modestinus capitali supplicio afficeretur; nam sciebant Academia jus gladii competere. (R. P. Pichler Decisiones.)

VIII. Quia sibi faventes habebant optimos Auctores, uti Abbat. Innoc. Imol. Vivian. Barbos. Laym. Farinac. Wagnereck, Pirhing, &c. qui in Criminalibus criminaliter agitis negant testes cogi posse ad testificandum. IX. Sacerdos insuper allegabat speciale privilegium, vi cuius coram Judice Laico etiam in causa Civili propter exemptionem personalem cogi ad testificandum non potest. can. 38. caus. 2. q. 6. & juramentum, quod testibus solet ac debet imponi, præstare coram Laico nequit Clericus absque Episcopi licentia. can. 22. caus. 22. q. 5. & ibi Glossa.

Sed his non attentis cogi potuisse ad ferendum testimonium ambos censeo cum communiore DD. calculo ex his fundamensis. I. Ex Jure Civili, nimirum l. 8. ff. § l. 15. l. 16. C. de testib. ubi sine discrimine inter causas Civiles & Criminales dicitur, testem cogi posse ad testificandum, conspirante gl. & Doctorum sensu ac praxi. Emm. Gonzal. ad c. fin. h. t. Berlich. p. 1. concl. 41. & alii. II. Ex Jure Canonico, secundum quod testes etiam in Criminalibus cogi posse, si

U u

aliunde

aliunde vel per alios testes probari veritas nequit, colligitur. *ex c. 1. h. t.* ibi: *ne veritatem occultent. c. 2. eod.* ibi: *cum sit testimonium vestrum necessarium. c. 4. § c. fin. eod.* ibi: *§ ipse intentionem suam probare non possit.* Conspirat *c. 33. de testib.* Id quod maximè procedit, quando testes odio, gratiâ, vel timore se subtrahere nituntur. *c. 1. c. 3. c. 10. h. t.* sed in nostro casu per alios testes veritas haberi nequivit, & uterque testis voluit se subtrahere timore Turbilli, & amore vel gratiâ Modestini. III. Ex æquitate, quæ dicitur, quemlibet facere teneri, quod alii, maximè bono publico, prodest, & sibi non nocet. *l. 2. §. 5. ff. de aqua pluvia.* Et hinc etiam cogitur quis edere instrumenta, quæ alteri profunt, & sibi non nocent, imò etiam adversus alium. *l. ult. C. de fid. Instrum.* Denique IV. Ex ratione, ne veritas occultetur. *c. 1. h. t.* ne malus existimetur esse bonus. *c. fin. eod.* ne pereat Justitia, & delicta maneant impunita cum detrimento Reipublicæ. *c. fin. cit.*

Nunc expedienda sunt, quæ assertioni nostræ videntur adversari. Ad I. II. & III. patet ex dictis, quia etiam Jus Canonicum vult cogi testes in Criminalibus quoque, ubi timore vel gratiâ testes revocantur à ferendo testimonio, ut insinuat in *cit. c. 3. § c. 10.* vel ubi veritas aliter haberi nequit. Alios casus, ut ubi agitur de criminibus in futurum præjudiciosis, vel de delictis exceptis, puta læsæ Majestatis, hæresis, simoniæ, falsi,

conjuracionis &c. vel ubi testimonium petitur ad defensionem Reipublicæ, ubi per modum inquisitionis super crimine &c. passim asserunt in quibus plerique omnes etiam Jure Canonico testes in Criminalibus quoque cogi posse sentiunt. Denique adverte, Magistratum Academicum non esse forum Ecclesiasticum, quo Jus Canonicum, si discrepare Jure Civili, observari deberet, secundum illud procedi: quod inde etiam liquet, quòd etiam sanguinis tractare possit dicitur Magistratus.

Ad IV. Ex *l. 12. tabularum.* constat de opposito, quia ibi testimonium dicere renuens reddetur intestabilis. dein est aliud de *Lege 12. tabularum.* tamen Jure Civili certum est tum ex *l. 12. de testib.* tum ex *Nov. 90. c. 4.* testes tam in Criminalibus quam Civilibus causis cogi posse. Ad V. & VI. jam satis insinuatum est, morem & amorem non esse sufficientes subtrahendi testimonium imò testes hoc ipso, quòd illud recusent vel timore unius, vel amoris & gratiâ alterius partis, cogi posse etiam de Jure Canonico in causis Criminalibus. Accedit, si testibus immineret aliquod incommodum, quod tamen subinde tollitur absque sufficienti causa, illud tamen utpote privatum esset pertinet ad bonum Reipublicæ, cuius interest delicta puniri. Ad VII. testibus primis non fuit magnum, vel

nunt periculum capitalis supplicii inferendi Reo vulneranti, licet ex vulnere forsitan lethali obiisset Turbilus, quia hæc Academia, quamvis jus habeat, nunquam hucusque ad poenam sanguinis & mortis vel mutilationis processit. Dein licet etiam contingeret aliquem morte affici à Judice propter depositionem testium, illi tamen irregulares non efficerentur, si coacti tulissent testimonium, ut post Suarium & alios multos docet Ghalinus *de Irregul. c. 4. difficult. 15.* & P. Wiestner *h. t. n. 11.* sumiturque ex *c. 19. §. ad ultimum de Homicid.* Exratione, quia si tales testes coacti fierent irregulares, tunc ex defectu lenitatis Christianæ: sed defectum lenitatis Christianæ habere censendi non sunt, qui non sua sponte, sed judicialis coactionis necessitate compelli, & ex voluntate Ecclesiæ, necessitatem testificandi per Judicem impoſentis, testificantur, & officio testium funguntur. Ad VIII, Dictis Auditoribus opponitur aliorum communiore sententia, magis in Jure & ratione fundata. Ad IX, Privilegium personalis exemptionis à jurisdictione

Judicis Laici non patrocinator Sacerdoti respectu Magistratus Academici, de quo nobis est sermo; quia ex prima fundatione hujus Universitatis, & conventionione cum Episcopo, vices ipsius Episcopi & jurisdictionem etiam in Clericos studiosos exercet, saltem si aliqua membra Ecclesiastica Academiae interfint examini & sententiæ contra Studiosos Clericos. Unde & juramentum sine novo consensu Episcopi deferre dictis Clericis potest.

Quæres, quomodo testes compellendi sint ad ferendum testimonium, illud ferre recusantes? R. Id arbitrio Judicis, cum poena à Jure determinata non sit, relinquitur. Felin. *in c. 10. cit. n. 4.* Menoch. *de arbitrar. Jud. casu 280. n. 2.* & *cas. 381. n. 32.* Potest igitur adhiberi vel multa pecuniaria, vel captio pignorum, vel, ubi similia locum habere nequeunt, etiam incarcerationio. Farinac. *l. 3. tit. 8. q. 78. c. 2. n. 41. 42.* Et in foro Ecclesiastico contra Clericos etiam censura suspensionis, & crescente contumacia etiam excommunicationis.

